

for. cap. 57. num. 10., *Pellegrin. Praxi Vicariol. p. 4. sec. 16. num. 15., & 16., Scanarola de Visitatione Carceratorum lib. 2. cap. 16. num. 22.*, ubi notat, quod hoc non servatur in Curia Eminentissimi D. Card., Vicarii Urbis, à qua quotiescumque transmittuntur commissarii, servantur quo ad expensas, regulæ, quæ practicantur in foro seculari, & subjungit Auctor, forte propter eminentem dignitatem, & amplissimas facultates à summis Pontificibus concessas.

134 Pecuniæ igitur aded iniuste exactæ restituendæ sunt, pro ut *Scanarola dicto tractatu de Visitatione Carceratorum lib. 2. c. 18. num. 19.*, refert plures, & pluries Visitationem de Urbe mandasse, pecunias à Commissariis, Judicibus, Notariis, & executoribus iniuste exactas, restitui eis à quibus fuerunt iniuste ablatae.

135 Quo verò ad poenam suspensionis in sententia pariter impositam, quam sit iniusta ex eo colligitur, quia etiam pro delicto certo, confesso, aut concludenter probato non imponitur, juxta Decretum Trid., nisi post secundam admonitionem, tanto minus hic pro sola suspitione delicti, & ubi nec prima præcessit monitio, ad notata per *Ricciol. tract. de personis, quæ in reprobo statu versantur lib. 3. cap. 16.*, ubi ex professo tractat, quando Clericus concubiniarius possit ab administratione suspendi.

136 Notando etiam, quod in casu Trid. solum imponitur suspensio à beneficio, nec dicit à divinis; in sententia autem de qua agimus, imponitur suspensio à beneficio, & à divinis, & ulterius gravat pro expensis Œconomi; quanta iniustitiæ capita coacervantur in Unum?

137 Quoad Commissarium, Notarium, & numerum 22. Biruariorum, qui à Vicario missi fuerunt ad formandum processum informativum contra Parochum, de quo est causa; Quantus sit excessus unicuique patet; primo, non debet transmitti commissarius nisi pro causa gravi, ut tam pro curia laicali, quam pro Ecclesiastica decrevit *Constitutio Aldobrandina. cap. 3. Vers. Occorendo à Giudici andar fuori della Città*, hæc autem non erat causa gravis, ut visum est; secundo, neque possunt exigi expensæ pro Viaticis, nisi ubi essent inditia ad torquendum, vel saltem sufficientia ad

transmittendam inquisitionem, & semiplene delictum sit probatum, ut notat *Guazin. ad defensam defens. 13. cap. 1. n. 14.*

Tertio, in numero Biruariorum magnus est excessus, nam causa, & circumstantiæ hunc numerum non requirebant, non enim contra bannitos capitales, neque contra armatos Siccarios, neque ad locum valde suspectum, sed contra Sacerdotem, nõ tractantem arma, nisi breviarium, & globulos præcatorios, ad locum, ubi pax, & quies servabatur; unde ad summum Notarius, cum duobus Biruariis sufficiebant, & certe in Urbe Roma, cum multo minori numero Biruariorum mittuntur commissarii, teste *Scanarola de Visitatione lib. 2. c. 16., num. 4.*, ubi nu. 14., quod propter hoc gravamen iniustum ex commissario passum, detur appellatio ad Præsidentem Provinciae.

138 Quoad tertiam poenam exilii, iniustitia pariter patens est, quia nullo jure justificatur, nec potest imponi poena, quæ in jure non sit pro certo delicto imposita, *Menoch. de Arbitr. Jud. lib. 1. q. 14., Barbosa in cap. transmissio de Jure patr., & Axioma 181. num. 7.*

139 Poena autem exilii gravis reputatur, & maximum supplicium, propter gravia incommoda quæ sequuntur; sequitur enim paupertas, & miseria ipsi exiliato & ejus familiæ; sequitur ignominia, & alia quæ describit *Guazin. ad defensam defens. 33. cap. 27. à num. 23., & seqq., Scanarola d. loco de Visitatione Carceratorum lib. 1. c. 12. cap. 3. à num. 33., & seqq.*, & ex hoc inter poenas corporales connumeratur.

140 Sed tandem, ut eo magis dignoscatur gravitas iniustitiæ resultantis ex prædicta sententia, placet transcribere Verba elegantia, quæ habentur in *decisione Poenæ S. fin. decis. 581. num. 13.*, videlicet.

Postremo, tametsi omnium dominorum concors sententia fuerit acri censura coercendos, ubique esse Clericos concubiniarios, ob tria potissimum mala, quæ in Christianam Rempublicam invehuntur; primo, quia aliorum, maximè verò laicorum corda scandalizantur; secundo, quoniam officium Ecclesiasticum vituperatur; tertio, quia præstatur materia peccandi. Can. si mala 2. q. 1., cap. significasti de adulter., cap. Magnæ de voto, Trid. sess. 25. cap. 14., iidem tamen concluderunt, cum agitur de privatione bene-

beneficiorum non esse raptim, festinanter sententias privativas proferendas, sed præter fragilitatem humanam, & pronitatem multorum, in Venereas voluptates, quarum occultis illecebris velut acribus tormentis, & Machinis bellicis, Viri etiam sancti sæpe torquentur, ac quantum, pensanda diligenter esse pondera probationum, quæ in hac facti specie, ex eo potissimum defuisse censebantur, quia tametsi ex deductis pro parte Religiosorum Monasterii S. Mansueti, esset probata aliqua concubinitus umbra, ante monitiones ab Episcopo, Abbati factas, nullo tamen probationis genere docebatur, Abbatem post legitimas monitiones, in concubinitu permanisse, & tamen ad effectum privationis, id tempus erat inspiciendum, cum enim ob concubinitum, non inducatur ipso Jure beneficiorum privatio (ut supra dictum fuit) nec sit inducenda, nisi quando post legitimas monitiones, indurato animo, Clericus in concubinitu perseverat, de hac contumacia non constabat, &

verisimile erat, Abbatem ab incontinentia, post monitiones abstinuisse, tum metu poenarum sibi denuntiarum, tum considerata ipsius longeva ætate &c., & idem Pennia decis. 658. num. 7. ait (cum Abbas posset moneri juxta ordinem datum per Concil. Trid., & monitus, dimittendo concubinam, evitare poenas latis contra concubiniarios).

Quæ Verba accomodantur casui nostro, urgendo argumentum à majori ad minus, ille Abbas non damnatur ad poenam privationis beneficii, quia si monitus fuisset, verissimiliter abstinisset à concubinitu; quanto verissimilius in nostro casu, in quo solum habetur suspicio de inhonesta intentione.

Statim ac fuit publicatum præsens Votum R. Parochus N. Ecclesiæ Villæ Novæ Marchesanae, fuit absolutus in omnibus, & per omnia, & gratosè Ecclesiæ suæ restitutus.

De Negligentia Pensionariorum, & Pensionaristarum.

S U M M A R I A.

- 1 Pensionarista beneficiatus negligentie culpam incurrit, si non solvat pensionem in termino, & loco destinato in bullis reservatoriis pensionis, elapso mense, ad purgationem moræ, concessa.
- 2 Celeri satisfactione purgatur mora, etiam ad effectum, ut non sit locus regressui reservato in casu moræ.
- 3 Pensionarista negligens solvere non gaudet beneficio, cap. Odoardus de solut., si consentit ipse impositioni pensionis; successor verò in beneficio gaudebit.
- 4 Consentiens impositioni pensionis, tenetur solvere, litteris etiam non sibi intimatis, alias poterit excommunicari, non sic successor.
- 5 Ex praxi Romanæ Curie, valet renuntiatio, cap. Odoardus de solut.
- 6 Negligentia Pensionarii in exigenda pensione operatur, ut non possit agere in successorem in beneficio, nisi præmissis diligentis.
- 7 Pensio est onus reale, quod transit in successorem.
- 8 Quando successor possit agere contra hæredes prædecessoris.

- 9 Beneficiato Parocho, qui non consensit pensioni, debet remanere congrua centum, taxata à Trid. pro alimentis.
- 10 Rota tenet, Pensionarium non posse agere contra successorem in beneficio, si fuit negligens in exigendo à Præcessore.
- 11 Quantam diligentiam prærequiratur fecisse præcessorem, ut agat in successorem.
- 12 Ad effectum agendi contra successorem in beneficio pro pensione non exacta à Præcessore, tenetur Pensionarius probare, fecisse omnes diligentias.
- 13 Nec sufficerent diligentie extrajudiciales, aut allegare impedimentum, quod ipse Pensionarius tollere potuisset.
- 14 Remittitur Judicio prudentis, an omnes diligentie necessariae sint factæ.
- 15 In quo casu sufficerent diligentie extrajudiciales.
- 16 Successor in beneficio, qui solvit pensiones decursas tempore præcessoris, etiam si per ignorantiam solverit, non repetit.
- 17 Si Pensionarius ex commiseratione, non exegit pensionem à præcessore, non potest eam exigere.

- gere à successore, nisi factis diligentis contra hæredes Præcessoris.
- 18 Quod intellige, quando non exegisse, possit imputari negligentia Pensionarii.
- 19 Si Beneficiarius nullos exegit fructus, tunc Pensionario non imputatur negligentia, si non exegit, secus si aliquos.
- 20 Nullis fructibus à beneficio exactis, nemo tenetur ad pensionem, idest neque Præcessor, neque successor.
- 21 Cessante omni negligentia, Pensionarius potest agere pro decursis contra successorem, & num. 22.
- 23 Pensionarius primo negligens, sed postea fe-

- cit omnes diligentias contra præcessorem, nec potuit exigere, tunc agit contra successorem.
- 24 Successor acceptando beneficium gravatum, censetur consentire pensioni.
- 25 Si per provisum de beneficio stet, ne capiat possessionem, tenetur solvere pensionem, licet fructus non percipiat.
- 26 Secus si non per se stet, sed factò alieno.
- 27 Rata pensionis decursa, & non soluta mortuo pensionario, cui debeantur, an Camera, an hæredibus defuncti.
- 28 Si Pensionarius non exegit per plures annos pensionem, non idem amittit possessionem, vel quasi illam exigendi.

ARTICULUS XXXIII.

De Negligentia Pensionariorum, & Pensionaristarum.



Ontigisse, experientia docuit, multoties Pensionarios, & Pensionaristas fuisse negligentes; illos in exigenda, istos in solvenda pensione; de hac ergo negligentia est præsens inquisitio, ut ejus effectum videamus, cui prodesse, vel obesse contingat; & licet parte prima, ubi de effectibus negligentia, aliqua de hac materia tetigerim, tamen placet hic accuratius rem non inutilem investigare.

- Ex parte Beneficiorum pensionaristarum incurritur negligentia, si in terminis à Summo Pontifice decretis, de quibus in Bullis Pensionariorum, non solverint pensionem integram, in loco pariter à Pontifice in bullis decreto, & enuntiato, licet concedatur mensis, post terminum completum ad purgandam moram, & negligentiam, ex regula quod mora celeri satisfactione purgatur, c. potuit de locato, & condic., l. Sancimus C. de fidejuss., l. & si post res ff. si quis caution., celeris autem satisfactio quænam dicatur ad hunc effectum remittitur arbitrio Judicis, Menoch. de Arbitrariis Judicium c. 7., Coccin. decis. 1051. nu. 6., decis. 1088. nu. 10., & ex communi praxi in hac materia observatur mensis, pro purganda mora.
- 2 Sicuti etiam negligentia, & mora celeri satisfactione purgatur ad effectum evittan-

di regressum, quem haberet Pensionarius, ad beneficium resignatum cum pensione, & pacto, quod deficiente resignatario in solutione pensionis, liceat resignanti regredi ad beneficium; quod habet locum, si negligentia, & contumacia solvere debentis sit magna, & non aliter Tondut de pensionibus c. 45 num. 6. 7., & cap. 47. num. 4., Gigas de Pension. q. 99. nu. 19., Paris de resignat. lib. 6. q. 3. num. 13., Loter de re benefic. lib. 1. q. 40. num. 277., & seqq., Barbosa in praxi exigendi pensiones p. 1. q. 9. num. 6.

- 3 Pensionarista autem negligens in solutionibus pensionum decursarum, non gaudet beneficio, c. Odoardus solut., cujus beneficium stat in hoc, ut Clericus debitor non tenentur solvere debitum ultra quam facere possit, unde nec potest capi, & carceribus mancipari, nec excommunicari, sed solum potest Clericus beneficiatus debitor, cogi ad præstandam cautionem Juratoriam de solvendo, si ad pinguiorem fortunam devenierit, Covar. lib. 2. Varian. resolut. c. 1. num. 9., Menoch. de arbitr. Jud. lib. 1. q. 88. num. 8., & ad late allegata per Barbosam in eod. cap. Odoardus nu. 2.; At tamen debitor negligens solvere pensionem poterit capi, excommunicari, vel in carceribus detineri donec solvat; ratio hujus lingu-

singularis amissionis tanti beneficii est, quia quando beneficiatus acceptavit beneficium assensit pensioni cum Juramento de solvendo, & sub obligatione Camerali, sub pena excommunicationis, & privationis beneficii, & consentiens carcerari, ad allegata per Barbosam in eod. c. Odoardus num. 6. & latius discussit in praxi exigendi pensiones p. 2. q. 16. per totum, Faguan. in eod. cap. Odoardus num. 79., ubi num. 80. observat de stylo Rotæ servari, quod beneficiatus, qui consensit reservationi pensionis, non gaudet eo beneficio, at successor in beneficio gravato, qui per se ipsum non consensit reservationi pensionis, gaudet beneficio, d. c. Odoardi, quia de eo non verificatur, quod consenserit pensioni cum Juramento, & sub obligatione Camerali.

4 Aliamque notat differentiam, idem Faguan. num. 81., quod qui consensit per se ipsum pensioni, eas penas incurrit, absque alia litterarum intimatione, si negligat solvere; successor verò, qui personaliter non consensit, eas penas excommunicationis, aut carcerationis non incurrit, nisi prævia intimatione litterarum, reservationis pensionis.

5 Unde in pensionarista negligente solvere, cessat questio acriter à Doctoribus exagitata, an possit Clericus renunciare beneficio, dicitur cap. Odoardi, de qua Barboza num. 24., quia ex praxi Romanæ Curia constat, approbatum esse in casu neglectæ solutionis pensionis, valere renuntiationem expressam in obligatione Camerali.

6 Contigit verò ex parte Pensionariorum, quod vel ad diversa negotia distracti, vel in remotis agentes, vel propria non curantes, vel æquitate, aut commiseratione moti, non petant, non exigant pensiones, ita ut Beneficiarius pensionem solvere, obligatus, aut postea fiat non solvendo, temporum injuria, aut in delicti alicuius poenam, bonorum spoliatus, aut ejectus à Beneficio, vel ex quocunque alio casu, vel moriatur; post quæ, vel cujus mortem, Pensionarius excitatus ad sua jura experienda, vult contra successorem in Beneficio agere, & exigere; tunc est questio, an negligentia sua, ex quo contra præcessorem neglexit exigere, sibi noceat, vel successor in Beneficio, ita ut successor teneatur solvere pensiones decursas tempore

præcessoris, vel potius sit ab hoc onere solutus.

- 7 Et quidem videretur absolute resolvendum, quod successor teneatur, quia pensio est onus reale, sicque res transit cum onere suo, Ludovif. decis. 507. num. 1. 2., Barboza de potest. Episc. alleg. 120. num. prim., & seqq., tum quia liberum est pensionario agere, vel contra successorem, vel contra hæredes Beneficiati defuncti. Si igitur eligat agere contra successorem, ille tenebitur ad pensiones decursas; de qua libera electione meminit, Marchesam de Commis. p. p. §. 2. de commis. in causis Pensionum num. 3., Barboza pluribus allegatis in c. 1. num. 6. de solut., & per eandem rationem, Gregor. decis. 507. num. 1., ubi successor non solum tenetur pro decurrendis pensionibus futuro tempore, sed etiam pro decursis in præteritum, ante suam provisionem; in quibus terminis, & verbis idem resolvit, Rota decis. 352. num. 1. part. 2. tom. 3. recent., Tondut. de Pensionibus c. xi. num. 2., tum quia cum Pensionarius non sit obligatus petere certo, & determinato tempore, numquam dici potest negligens, decis. 352. num. 4. part. 2. recent., ea ratione generaliter posita in p. p. artic. Quis sit negligens, ubi quod negligens dicitur, qui omittit facere, quod tenetur; Tum quia Pensionarius non petendo pensionem, etiam per triginta annos, non amittit suam quasi possessionem exigendi, quam habebat contra præcessorem, Burat. decis. 347. num. 11., aliaque plures decis. allegat Antonelus de tempore legali lib. 2. c. 67. nu. 75., quia ex merè negativis, non currit prescriptio, ex alias dictis, & quasi possessio exigendi contra præcessorem transit etiam contra successorem, Rota coram Pennia in Boianem Pensionis 28. Octobris 1600., quæ est penes, Marchesam. de commis. in causis Pensionum p. p. §. 2. vigesima in ordine.
- 8 Poterit tamen successor in eo casu gravatus, repetere ab hæredibus præcessoris, Gratian. discept. For. c. 94. num. 56. 58., & seqq. Barboza d. alleg. 120. num. 6., Eo quia pensio solvenda sit ex fructibus; dum ergo præcessor collegerit fructus, necesse est, ut ipse, vel ejus hæredes teneantur ad solvendas pensiones, pro eo tempore, quo fructus ex beneficio pensione gravato, Præcessor perceperat, Gigas de Pensionibus q. 39.